

quanquam id pene in omnibus contingit. Agrippina coniumx Claudij Caesaris turdum habuit (quod nunquam ante) imitantem sermones hominum, cum hæc proderem. Habebant & Caesares iuuenes item sturnum, luscimias, Græco atque Latino sermone dociles: præterea meditates in diem, & assidue noua loquentes longiore etiam contextu. Docentur secreto, & ubi nulla alia vox misceatur, assidente qui crebro dicat ea, quæ condita velit, ac cibus blandiente.

De coruorum intelligentia. CAP. XLIII.

Reddatur & coruis sua gratia, indignatione quoque; populi Ro. testata, non solum consciētia. Tiberio principe ex sætu supra Castorū ædem genitus pullus, in oppositū sutrinam deuolauit, etiam religione commendatus officinæ domino. Is mature sermoni assuefactus, omnibus matutinis euolās in rostra, in forum versus, Tiberium, dein Germanicū & Drusum Caesares nominatim, mox transeuntem populū Ro. salutabat, postea ad tabernam remeans, plurimum annorum assiduo officio mirus. Hunc sine amulatione vicinitatis māceps proximæ sutrinæ, siue iracundia subita, ut voluit videri, excremētis eius imposta calceis macula, exanimauit, tanta plebei consternatione, ut primo pulsus ex ea regione, mox & interemptus sit, funusq; innumeris aliti celebratū exequijs, constratum lectum super Aethiopum duorum humeros, præcedente tibicine, & coronis omnium generū, ad rogam usq; qui constructus dextra viæ Appiæ ad secundum lapidem, in campo Rediculi appellato fuit. Adeo satis iusta causa populo Ro. visa est exequiarū ingenium auis, aut supplicij de ciue Romano, in ea vrbe, in qua multorum principum nemo deduxerat funus: Scipionis vero Aemiliani, post Carthaginē Numantiamq; deletas ab eo, nemo vindicauerat mortē. Hoc gestum M. Seruilio, C. Cestio C O S S. ad v. Kalen. April. Nunc quoque erat in vrbe Roma, hæc prode me, equitis Ro. cornix è Batia, primum colore mira admodum nigro, deinde plura contexta verba exprimens, & alia atque alia crebro addiscens. Necnon & recēs fama Crateri Mocerotis cognomine in Erizena regione Asia, coruorum opera venantis, eo quod deuehebat in syluas eos cōsidentes corniculis humerisq; illi vestigabant agebantq; eo perducta consuetudine, ut exeuntem sic comitarētur & feri. Tradendum putauerē memoria quidam, visum per sitim lapides congerentem in situlam monumenti, in qua pluuia aqua durabat, sed quæ attingi non posset: ita descendere pauentem expressisse tali congerie, quantum poturo sufficeret.

De Diomedeis auibus. CAP. XLIIII.

Nec Diomedas pteribo aues: Iuba cataractas vocat, & eis esse dentes, oculosq; igneo colore, cætero candidis tradēs. Duos semp ijs duces: alterū ducere agmē, alterū cogere: Scrobes excauare rostro, inde crate cōsternere, & operire terra q̄ ante fuerit egesta: in his sætificare: fores binas oīum scrobi

bus: orientē spectare quibus exeat in pascua, occasum quibus redeant. Aluum exoneraturas subuolare semper, & contrario flatu. Vno hæ in loco totius orbis vi suntur, in insula, quam diximus nobilem Diomedis tumulo atq; delubro, cōtra Apulia oram, fulicarū similes. Aduenas barbaros clangore infestant. Græcis tantū adulatur, miro discrimine, velut generi Diomedis hoc tribuentes: ædemq; eā quotidie pleno gutture mandentibus pennis perluūt atq; purificant: vnde origo fabula, Diomedis socios in earum effigies mutatos.

Quæ animalia nihil discant. CAP. XLV.

Non omittendū est, cum de ingenijs differimus, è volucris hirūdines esse indociles, è terrestribus mures: cū elephāti iussa faciāt, leones ingū subeant, in mari vituli, totq; pisciū genera mitescant.

De potu auium. CAP. XLVI.

Bibunt aues suctu, ex his quibus lōga colla, intermittentes, & capite resupinato velut insudentes sibi. Porphyrus solus morsu bibit. idē est proprio genere, omnē cibum aqua subinde tingēs, deinde pede ad rostrum veluti manu afferens. Laudatissimi in Comagene. Rostra ijs & prælonga crura rubent.

De himantopode, & onocrotalis, & de peregrinis auibus. CAP. XLVII.

Hæc quidem & himantopodi, multo minori, quanquā eadem crurum altitudine. Nascentur in Aegypto. Insistit ternis digitis. Præcipue ei pabulū muscæ. Vita ī Italia paucis diebus. Grauiores oēs fruge vescuntur, altiulæ carne tantū. Inter aquaticas mergi soliti sunt deuorare quæ cætera reddunt. Olorū similitudinē onocrotali habent: nec distare existimarentur omnino, nisi faucibus ipsis inesset alterius vteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira ut sit capacitas. Mox perfecta rapina sensim inde in os reddita, in verā aluum ruminantis modo refert. Gallia hos septentrionalis proxima oceano mittit. In Hercynio Germaniæ saltu inusitata genera alitum accepimus, quarum plumæ ignium modo colluceant noctibus: in cæteris nihil, præter nobilitatē longinquitate factam, memorandum occurrit.

De multarum auium nominibus, &

natura. CAP. XLVIII.

Phalacrocorax in Seleucia Parthorum, & in Asia Paquaticarū laudatissimæ: rursum phasianæ ī Colchis geminas ex pluma aures submitunt subriguntq; Numidicæ in parte Africa Numidia, oēsq; iā ī Italia. Phœnicopteri linguā præcipui saporis esse, Apicius docuit nepotū omnium altissimus gurgēs. Attagen maxie Ionius celebratur, vocalis alias, captus vero obmutescens, quondam existimatus inter raras aues. Iam & in Gallia Hispaniaq; capitur, & per alpes etiam, ubi & phalacrocoraces aues, Baleariū insularum peculiare: sicut alpiū pyrrocorax, luteo rostro, niger, et præcipuo sapore lagopus: pedes leporino villo ei nomen hoc dedere: cætero candidæ, columbarum magnitudine. Non extra terrā eam vesci facile, quando

* incitatus